



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Fvndatio Vvessobrunnensis Monasterij, ex veteri quodam codice ad
verbum translata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13591

gentē, Angelos Dei ascendentes, & descendentes & S. Apostolum Petrum scalæ innitentem & canentem ea, quæ communiter in dedicationis officio cantari solent, venatorū Tassilonis alter, qui VVessō dicebatur, inuenit fontem in modū crucis ebullientem, qui ab eo nomen obtinuit, & dicitur hodie, fons Wesslonis,

TASSILO autem Dux Monasterium eiusdem nominis, cooperante sibi S. Bonifacio ædificauit & possessionibus ampliavit, vbi primus Abbas Hlfrungus Altaichenfis Monachus, præfuit annis XXI. Et in meridiolani Ecclesiæ plaga sepultus est.

AVENT: in Annalib. fol. 557. de hoc Monasterio ponit, quòd hastenus à popularibus, id est, secularibus Sacerdotibus, postquam ab Vngaris exustum fuit occupatum, his pulsus, sacris D. Benedicti Hainricus Imperator restituit, circa annum 1050. Fuit olim ibi Monialium quoque cœnobium.

HAINRICVS Höchenkürcher de Hildorf, Abbas ibi, anno 1384. Cui Bonifacius nonus dedit priuilegium Pontificalibus vtendi Insulā, Baculū, an. 1402. Rexit XXX. annis laudabiliter. Resignat anno 1414. factus Abbas in Etal, ad petitionem Wilhelmi & Ernesti Ducum Bauariæ, vbi obiit 1418. Hainricus Comes Tyrolensis, pro sua & fratris Berchtoldi anima, dedit vineam in Ruffrano, vbi dicitur Subdossā, an. 1181. Eodem tempore Gertrudis de Liechtenstain, Ministerialis eiusdem Comitum consensu mariti sui Conradi, pro remedio animarum suarum, & pro amore filiarum Irmegardis & Vvilleburgæ Monialium ibidem, dedit curtem in superiori Leuen &c.

Patroni huius Monasterij sunt, SS. Petrus & Paulus.

Nobiles ibi sepulti sunt de Secueld. Item dicti Greuter de Greut, rudera extant veteris arcis, non procul à Monasterio, Diessen versus.

Item Pfettner, & vnus de Schvvangav, ibidem Nobiles de Freiberg, de Asch ultra Lycum Sueui.

VLRICVS Hochenkircher Abbas, ibidem emit à Ioanne Sumerstorf villam Mennzing, cum omnibus pertinentiis, anno 1401. Alius verò Abbas etiam Vlricus dictus, cum Alberto Duce Bauariæ. Comite de Vochburg permuauit, pro aliis commodis possessionibus, anno 1441.

ADDITIO NES.

FVN DAT IO

WVessobrunnensis Monasterij, ex veteri quodam codice
ad verbum translata.

ANNO Domini Septingentesimo quinquagesimo tertio, Tassilo filius Otilonis & Hiltrude sororis Pipini patris Caroli magni sub imperio eiusdem Caroli magni, Dux Bauarorum in marchia ducatus tunc regni Boiariorum in saltu foresti, qui Rotvvald dicitur, inter duo flumina Apariam & Licum venationi operam dabit aprorum. Et dum per noctem iuxta fluium sub tentorio dormiret, vidit in somnis iuxta fontem eiusdem foresti per quatuor partes è terra scaten-tem se astare, & exinde ad meridianum scalam ad coelos porrectam, & angelos Dei ascendentes & descendentes per illam, sanctum autem Apostolorū Principem innixum scalæ & canentem ea, quæ in officio dedicationis communiter cantari consueuerunt. Et venatorum Tassilonis alter Tharingerus, alter Wesso dicebantur, quorum Wessa fontem, qui hodie fons Wessonis dicitur à se reper-

Metrop. Salub. Tom. III.

rum in modum crucis è terra bullientem ostendit. Ibi Rex Monasterium eiusdem nominis coöperante sibi *Bonifacio Moguntino* ædificauit, & possessionibus ampliauit. Vbi primus Abbas *Ilfungus Althabensis* inferioris Monachus, qui post XL. annos, quibus religiose præfuit diem obiit. Otilo prius Rex postea *Boiaria* in prouinciam redacta, *Althaba* monasterium suo fundauit alodio & sepultus est cum vxore in *Osterhouen*, quod nihilominus monasterium sub regula sancti *Benedicti* egregie latis. Dux ipse construxerat.

Bonifacius Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filiis: Abbati & Conuentui Monasterij sancti *Petri* in *Wessebrunn*, ordinis sancti *Benedicti Augustensis* Diocesis, salutem & apostolicam benedictionem. Et poscit vestræ deuotionis sinceritatis, & religionis promeretur honestas, vt tam vos quos speciali dilectione prosequimur, quam Monasteriũ vestrũ dignis honoribus. attollam. Hinc est quod nos vestris supplicationibus in hac parte inclinati, vt tu Abbas & successores tui Abbates dicti Monasterij qui pro tempore fuerint, Mitra, Anulo, & aliis pontificalibus insigniis liberè possitis vti, nec non quod in dicto Monasterio & Prioratibus eidem Monasterio subiectis, aut parrochialibus, aut aliis Ecclesiis ad vos communiter vel diuisim pertinentibus, quamuis vobis pleno jure non subsint benedictionem solennem post Missarum, Vesperarum, & Marutinarum solemniam, dummodo in benedictione huiusmodi aliquis Antistes, vel sedis apostolicæ legatus præsens non fuerit, elargiri possitis fælicis recordationis *Alexandri* papæ quarti prædecessoris nostri, quæ incipit; Abbates & alii quibuscunq; constitutionibus apostolicis in contrarium editis nequaquam obstantibus vobis & eiusdem successoribus auctoritate apostolica de specialigratia tenore præsentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum *Petri & Pauli* Apostolorum eius se nouerit incursurum. Data *Rome* apud sanctum *Petrum*, tertio Calendas Nouembris, Pontificatus nostri anno tertio decimo.

Oål.

M de Sancta Agata.
Ia. de Papis.

Io. de Bononia.

Catalogus Abbatum Monasterij SS

Petri & Pauli in Wessebrun.

- I. *Ilfungus* Abbas intrauit Abbatiam Anno 758. præfuit 41. annos.
- II. *Adelmarus* Abbas successit anno 799. præfuit 32.
- III. *Reimundus* Ab. electus est An. 831. præfuit 43. annos.
- IV. *Adelhelmus* Ab. confirmatus est anno 874. præfuit an. 12.
- V. *Schnello* Ab. intrauit Abbatiam anno 886. præfuit 18. an.
- VI. *Hatto* Abbas successit anno 904. præfuit ann. 2.
- VII. *Sigmarus* Ab. electus est an. 906. præfuit cum sequente Abbate 36. annos.
- VIII. *Benedictus* Ab. præf. cum Priore abbate 36. an.
- IX. *Beatus Thiento* electus est anno 942. præfuit 13. an. tunc in *Schreiberg* cum 6. fratribus ab. *Hungaris* martyrizatus est, anno 955. quibus successerunt Canonici regulares ord. S. Augustini. His præfuerunt Præpositi 7. sequentes. 110. annos.

Richard.